

s. Mariae Galliani pertinentem ad Monachos Olivetanos.

Lycien. Visitationis et Censur. 29. Jan. 1724 et 23. Junii 1725.

Episcopus potest *jure delegato* visitare ecclesiam campestris s. Mariae de Albiano Pontis Nurii spectantem ad Carmelitas calceatos.

Placentina 17. Aug. 1726.

Episcopus visitare potest capellam ruralem sub titulo B. V. M. ad Nives in sua dioecesi in finibus loci Morosii spectantem ad Monachos Carthusianos.

Montis Regalis 25. Mart. 1727.

Alexand. VII. constit. incip.: Posito decreto etc. approbaverat declarationes S. C. Ep. et Reg., quod nempe visitationi et jurisdictioni Ordinarii subsint ecclesiae conventuum et capellae granciarum sive in eis degant conversi pro agrorum cultura sive non.

Jurisdictionis episcoporum visitandi parochiales ecclesias fratrum militum sancti Joannis Hierosolymitanti quoad animarum curam et administrationem sacramentorum.

Pius PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit pastoralis officii debitum, cui, disponente Domino, praesidemus, ut ad ea sollicitè intendamus, per quae discordiarum et litium ac controversiarum quarumlibet materia tollatur.

§. 1. Sane cum nonnulli ex venerabilibus fratribus episcopis dilectos filios, magistrum, bajulivos, castellanum empostae, priores, donatos, capellanos, fratres, milites et alias quascumque personas hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, ratione ecclesiarum curam animarum habentium illarumque rectores et ministros, ad ipsum magistrum spectantium et pertinentium, juxta

s. oeconomici Concilii Tridentini decreta, visitare, dictus vero magister et alii praedicti ipsos illorumque ecclesias, capellanos et ministros dictis decretis minime comprehendi sed ab illis exemptos esse praetenderent, materia quaestionis orta.

§. 2. Nos igitur, eorum paci et quieti consulere volentes, omnes lites et controversias hujusmodi, tam in romana curia quam alibi, coram quibuscumque iudicibus, in quacumque instantia pendentes illarumque status et merita pro sufficienter expressis habentes, ad Nos avocantes, eas cassamus, exlinguimus et super illis perpetuum silentium imponimus ac omnes dictae militiae personas a quibusvis censuris, harum controversiarum occasione contra eas per quoscumque latis et incursis, absolvimus.

§. 3. Et ne in futurum aliqua amplius controversia oriri possit, decernimus, declaramus, statuimus omnes et singulos locorum episcopos et alios superiores tamquam apostolicae Sedis delegatos, omnes et quascumque parochiales ecclesias caeteraque beneficia ecclesiastica suarum civitatum et dioecesium, quibus animarum cura imminet, ad dictam religionem ejusque milites, capellanos, ministros, rectores quomodolibet pertinentia, etiam quod in eis episcopalem et temporalem jurisdictionem religio et milites praedicti haberent eorumque ecclesias, rectores, vicarios et ministros quoscumque (in his tamen dumtaxat, quae animarum curam illiusque exercitium et sacramentorum administrationem respiciunt) visitare omnesque actus visitationem concernentes exercere posse et debere; ac rectores caeterosque hujusmodi ministros, curam animarum exercentes, minus idoneos repertos, si quidem ad nutum amovibiles sint, statim amovere, sin vero titulares sint, illico suspen-

dere ac superiores eorum monere, ut intra aliquem brevem terminum in locum amotorum subrogent alios idoneos, prius tamen per ipsos episcopos et alios superiores examinatos et approbatos, titularibus vero suspensis deputent alios idoneos pariter examinatos et approbatos, ut supra, in coadjutores seu vicarios, juxta decretum concilii sessione vigesima prima, capite sexto. Interea vero dum haec subrogatio seu deputatio fiat, ipsi episcopi et alii superiores, pro necessitate curae animarum, provideant arbitrio suo; quod si superiores dictorum rectorum et ministrorum intra tempus praefixum non subrogaverint aut deputaverint ut supra, tunc, dicto termino elapso, ipsi episcopi et alii superiores alios, praevis examine, juxta ejusdem concilii formam idoneos repertos, in locum amotorum subrogent. Titularibus vero suspensis coadjutores deputent juxta dictum capitulum sextum sessione vigesima prima, qui tamen in dictis parochialibus perinde inserviant ac si subrogati aut deputati ab ipsis superioribus religionis et militum praedictorum fuissent.

§. 4. Volumus autem quod episcopi et alii superiores praedicti visitationem hujusmodi et praedicta omnia solum tamquam Delegati apostolicae sedis et gratis et absque ullis dictae religionis rectorum et ministrorum impensa et onere faciant.

§. 5. In collatione item ordinum, necnon consecratione ecclesiarum et sacrorum vasorum ac benedictionibus et aliis actibus spiritualem curam concernentibus ac institutione praesentatorum ab eisdem militibus ad beneficia aut approbatione seu confirmatione, quas ab eisdem fieri harum praesentium vigore contigerit, gratis omnia faciant et diligenter attendant ut nullos admittant, qui qualitates a concilio re-

quisitas non habeant ac praevis examine juxta ejusdem concilii decreta idonei non existant.

§. 6. Nolumus autem episcopos et alios superiores locorum suprascripta facultate visitandi uti, qui cum eadem religione et militibus super jurisdictione episcopali in locis visitandis coram quibuscumque iudicibus litigent, nisi ipsi episcopi et alii superiores in quasi possessione antiqua exercitii jurisdictionis hujusmodi existerent, salvo tunc jure utriusque illaeso in petitorio, sed quod episcopi et alii superiores jus aliquod in jurisdictione hujusmodi non habentes nullumque interesse prorsus praetendentes, facultate praedicta utantur.

§. 7. Nolumus item per praesentes ullum afferri praejudicium juri visitandi dictas parochiales ecclesias et alia beneficia curam animarum habentia, quod antea religioni et militibus praedictis competebat.

§. 6. Inhibemusque expresse dictis episcopis et aliis superioribus ne hac visitandi facultate, eis per praesentes concessa, alio utantur modo quam praescripto.

§. 9. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 22. Sept. 1571.

(Bull. r. t. VII. p. 943. Ed. Aug. Taur.)

Lycien.

(Conc. Tr. C. 8. S. 7. De ref.)

Cum visitatores deputati ab episcopo Lycien. accessissent ad quamdam ec-

clesiam sitam in loco Galliani Dioecesis Lycien., nonnulli Monachi Olivetani monasterii ss. Nicolai et Cataldi Civitatis Lycien. se huic visitationi opposuerunt sub obtentu exemptionis memoratae ecclesiae et pertinentiae ad suum monasterium.

Paulo post cum ecclesiae festivitas immineret et Archipresbyter Oppidi Turchiarosi ad eam pariter accessisset, ut sacerdoti Andreae de Laurentio sacristae opem ferret, parando necessaria pro decenti ecclesiae ornatu, nonnulli Monachi Olivetani conversi, vi adhibita, utrumque ab ecclesia expulerunt delataque ab expulsis notitia expulsionis ad curiam episcopalem percussores fuerunt declarati excommunicati et sic ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus evitandi.

Ex his bina controversia inter monachos et Curiam episcopalem Lyciensem exorta est, altera videlicet super facultate visitandi Ecclesiam ruralem s. Mariae Galliani et altera sub validitate censurarum.

De his factum alias fuit in hac s. Congr., cumque Promotor Fiscalis demonstrasset, non esse dubitandum de situatione ecclesiae in dioecesi Lycien., et ulterius addidisset, eam nullo modo pertinere ad monasterium, cum ecclesia pertinens ad monasterium non sit illa, de qua nunc agitur, sed alia sub titulo s. Anastasiae, quae ex injuria temporum fuit aequata solo, et quod, quatenus ad monasterium pertinisset, eadem semper potuisset jure delegato visitari juxta *cap. 8. sess. 7. de reform.*, etiamsi praecedentes episcopi eam numquam visitassent, cum exercitium jurisdictionis in toto territorio jus episcopale praeservet in ecclesia etiam, quae numquam fuisset visitata, uti colligitur ex folio Congregationis habitae die 18. Decembris 1723, bina tandem fuerunt dubia dis-

putata in Congregatione habita die 29. Jan. 1724, quorum primum fuit: *An Ecclesia ruralis s. Mariae Galliani sit subjecta jurisdictioni et visitationi Episcopi in casu?* Et huic dubio responsum fuit: affirmative. Secundum fuit: *An censurae sustinerentur in casu?* Et huic dubio nulla data fuit responsio, ex quo ignorabatur, an auditor S. S. causam etiam remisisset ad hanc s. Congregationem quoad punctum censurarum. Cumque quoad primum dubium impetrata fuerit a Monachis nova audientia et certa sit in praesenti remissio causae ad hanc s. Congregationem etiam quoad punctum censurarum, bina idcirco proponuntur in praesenti dubia disputanda, quae ad calcem restrictus referuntur.

Pluribus in locis sacrum Concilium Tridentinum loquitur de jure episcopis competente in visitando ecclesias regulares et alio modo exemptas; si etenim alicui monasterio imminet cura animarum personarum saecularium, personae tam regulares quam saeculares hujusmodi curam exercentes subsunt immediate in iis, quae ad curam pertinent et administrationem sacramentorum, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus sunt dioecesi, uti habetur *sess. 25. de regul. cap. 11.* et haec Episcoporum jurisdictio non est delegata, sed ordinaria, cum per concilium exemptio regularium in eo, quod attinet ad curam animarum, jam fuisset de medio sublata in *cap.: per exemptionem de privilegiis in 6.* et est sententia hujus s. Congregationis, de qua apud *Fagnan.* in *cap.: Cum dilectus n. 42.* de religiosis domibus, et discusso articulo firmavit Rota in Firmana jurisdictionis 10. Maii 1700 §. 22. et seqq., et in Firmana jurisdictionis super modo visitandi 13. Martii 1702 per totam et signanter num. 22. et seqq. cor. bo. mem. Molines Decano. Item sacrum

Conciltum sess. 7. cap. 7. de reform. dat Ordinariis facultatem singulis annis visitandi beneficia ecclesiastica curata, quae perpetuo unita sint et annexa monasteriis et quando agitur de monasteriis et Abbatibus commendatis, in quibus non vigeat regularis observantia, necnon de beneficiis tam curatis quam non curatis, saecularibus et regularibus, qualitercumque commendatis, tunc episcopus uti sedis apostolicae delegatus potest ea singulis annis visitare juxta caput 8. sess. 21. de reform., quod procedere dicitur tam in monasteriis commendatis quam in eorum membris, quoties in eis non vigeat regularis observantia, ut late ostendit Rota in Firmana jurisdictionis super reservatis 15. Aprilis 1701 §. 25. cor. bo. me. Molines.

Haec quoad Ecclesias regulares, in quibus adest cura animarum, vel quoad ecclesias commendatas et monasteria pariter commendata, in quibus non viget regularis observantia, quoad reliquas autem quascunque ecclesias quomodolibet exemptas, sive illis imminet cura animarum sive non, idem sacrum Concilium sess. 7. cap. 8. de reform. dat locorum Ordinariis auctoritatem easdem singulis annis visitandi et auctoritas ibi data a Concilio est delegata, uti ex textu colligitur et bene adnotavit *Fagnan.* in *cap.: cum dilectus* num. 43. de religiosis domibus, et quamvis caput hoc pertinere videatur et respicere ecclesias saeculares, extenditur nihilominus ad ecclesias, quae spectant ad regulares, si eisdem deservitur a saecularibus, juxta resolutionem hujus s. Congregationis 15. Februarii 1596 lib. 8. decret. pag. 163. a tergo, ibi: *Congregatio Concilii respondit, posse Episcopum visitare quascunque Ecclesias saeculares intra fines suae dioecesis existentes vigore capituli 8. sess. 7. etiamsi ad regulares perti-*

nent et ab eis dependeant, dum tamen per saeculares eis deservitur, nisi forte ageretur de Ecclesiis non curatis et quae essent de mensa monasterii seu subjective unitae monasterio, hae siquidem nec jure ordinario nec jure delegato possunt ab Episcopo visitari, juxta late firmata per Rotam in Firmana jurisdictionis super modo visitandi 20. Martii 1702 §. 4. et seqq. cor. bo. mem. Molines, et in Burgen. jurisdictionis seu visitationis 3. Julii 1713 §.: *Quoad reliqua,* et 19. Januarii 1714 §.: *Respectu vero* cor. bo. mem. Barbadico, et jurisdictio a sacro Concilio tributa Episcopis cap. 7. et 8. sess. 7. de reform. et cap. 11. sess. 25. de regul., de qua supra, non est privativa sed cumulativa cum inferioribus juxta resolutiones hujus s. Congregationis apud *Fagnan.* in *cap.: Quanto* num. 31. et 32. de officio Ordinarii, et in *cap.: privilegia* n. 40. de privilegiis, et secuta est Rota in Firmana jurisdictionis supra citata §. 39. coram bo. mem. Molines et in citata pariter Burgen. jurisdictionis 19. Jan. 1714 §.: *Ubi praetermittenda,* cor. bo. mem. Barbadico: ita tamen ut visitantibus tam episcopo quam inferiore et decreta edentibus praevalere debeant *Episcopi decreta, si haec adversentur decretis inferiorum,* juxta resolutionem hujus s. Congregationis 29. Julii 1628 in causa Veronen. lib. 13. decr. pug. 490. a tergo ibi: *non prohiberi dictis Superioribus regularibus decreta facere, dummodo decretis Episcopi non adversentur, quae tali casu praevalere et observari debent.*

Ad tramites eorum, quae hucusque deducta sunt, contendunt Monachi Olivetani, se et suas ecclesias omnes esse exemptas a jurisdictione episcopi nec ullo modo sibi posse vindicare locum dispositionem sacri concilii aut sess. 21. de reform. aut sess. 25. de

Regul. cum in praesenti non agatur aut de ecclesia habente curam animarum aut de ecclesia commendata, idemque iudicium ferendum esse de cap. 8. sess. 7. de reformat. cum deficiat in facto suppositum, quod ecclesiae rurali s. Mariae Galliani deserviat a presbyteris saecularibus, uti fusius videri potest in ipsorum scriptura per manus circumferenda, in qua etiam contendunt, censuras latas nullitatis vitio laborare, cum latae fuerint post interpositam appellationem et cum factum non esset notorium, in quo solo casu episcopus potest exemptos declarare incursos in censuras. Addunt, eundem Ordinarium judicialiter processisse, quod est ipsi velitum, quando agitur de exemptis, licet factum sit notorium, et demum concludunt, factum non esse probatum et sic censuras non tam nullitate quam iniustitia laborare.

Quando alias actum fuit de hac eadem causa in hac sacra Congregatione nonnulli ex EE. PP. ponderarunt, ut videretur: an applicabilis esse posset dispositio bullae 55. Innocentii X. bull. t. 5., in qua subduntur visitationi et correctioni Ordinarii uti Sedis apostolicae delegati conventus et granciae monasteriorum, in quibus sex religiosi non aluntur? et etiam: an applicabiles sint resolutiones s. Congr. super statu regularium, quae referuntur n. 4. inter constitutiones Alexandri VII. bull. tom. 6. ubi dicitur, ecclesias et capellas Granciarum, in quibus degunt conversi pro agrorum cultura, posse ab Episcopo visitari et etiam subesse visitationi episcopi ecclesias et capellas granciarum, in quibus nullus degit conversus.

Jura circumferuntur, quocirca onus erit EE. VV. decernere

1: *An sit standum vel recedendum a decisio?*

2. *An censurae sustineantur in casu?*

S. C. C. resp. ad I.: In decisio, jure tamen delegato;

ad II.: Negative et amplius.

Die 23. Junii 1725.

Larinen.

In abbacia s. Agathae, quae dicitur Grancia monasterii Insulae Tremitanae ad Canonicos regulares Lateranenses spectantis, extat ecclesia, in qua cum ab uno ex eisdem religiosis administrarentur sacramenta colonis, episcopus anno 1653 consuluit hanc sacram Congregationem, an ei liceret ecclesiam illam visitare. Itaque die 20. Decembris ejusdem anni s. Congregatio respondit: Sacrum Concilium assistere episcopo necnon constitutionem Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, ideo exequendum, ut in lib. 19. decr. pag. 296.

Cum vero abbas de hujusmodi decreto edoctus affirmaverit curam animarum minime exerceri in ea ecclesia, episcopus anno 1654 edidit hoc decretum: „Non esse visitandam dictam abbatiam pro cura animarum, nisi in casu, quod rursus deputaretur curatus et exigeretur fons baptismalis et exerceretur in ea cura animarum non inservientium monasterio.“ Atque hinc consueverunt incolae sese gerere tanquam subjectos quoad parochialia munia archipresbytero Serrae Capriolae.

At cum recenter compertum haberit episcopus conferri in ea ecclesia s. Agathae baptismum aliaque sacramenta, supplex postulavit proponi dubium:

An liceat Episcopo Larinen. visitare Ecclesiam s. Agathae Insulae Tremitarum quoad sacramenta et sa-

cramentalia, itaut sit standum vel recedendum a decisio die 20. Decembris 1653 in casu?

S. C. C. resp.: Dilata et interim Canonici regulares abstineant ab exercitio curae animarum in ecclesia s. Agathae.

Die 27. Junii 1733.

Continuatio Larinen.

Episcopus Larinen. anno 1653 petiit declarari ab hac s. Congregatione: an ei jus esset visitandi ecclesiam existentem in abbaciae s. Agathae, quae esse dicitur Grancia Monasterii Tremitani Canoniorum regularium Lateranensium. Responsum vero fuit die 20. Decembris ejusdem anni in haec verba: S. Concilium assistere episcopo necnon constitutionem Gregorii XV. de exempt. privileg. ideo exequendum ut in lib. 19. decr. pag. 296.

Hoc edito decreto, cum episcopus tunc temporis visitationem esset aggressurus illius ecclesiae in iis, quae versabantur circa sacramentorum administrationem negavit abbas monasterii ullum curae animarum exercitium obiri consuevisse in ea ecclesia quoad laicos. Itaque episcopus anno 1654 decrevit: Non esse visitandam dictam abbatiam pro cura animarum, nisi in casu, quod rursus deputaretur curatus et erigeretur Fons baptismalis et exerceretur in ea cura animarum non inservientium monasterio.

Cum tamen hodiernus Episcopus compererit nunc in ea ecclesia sanctae Agathae administrari incolis baptismum aliaque sacramenta cum parochialium munium exercitio, institit declarari: an sibi liceret eandem ecclesiam visitare ad normam rescripti, ut dictum est, editi anno 1653. Causa autem proposita die 27. Junii superi-

oris anni ejusque decisionem differri postulante abbate prodiit rescriptum hoc: Dilata et interim Canonici regulares abstineant ab exercitio curae animarum in ecclesia s. Agathae.

Nunc vero abbas monasterii Tremitani duo potissimum demonstrare nititur, videlicet quod in memorata ecclesia s. Agathae jam inde a multis annis consueverint sacramenta administrari incolis ejus oppidi quodque ecclesia et oppidum nullo modo subsint jurisdictioni Episcopi Larinensis sed imo extra fines dioecesis. Larinen. existant atque in separato territorio abbatis Monasterii Tremitani.

Quantum pertineat ad primum, abbas docet fuisse jam tum ab annis circiter sexaginta in ea ecclesia s. Agathae gestum quicquid ad parochi officium spectat, nuptias nempe conciliando juxta Tridentinae Synodi praescriptum, infantes expiando aqua salutis, extremis muniendo sacramentis aegrotos et sepeliendo mortuorum cadavera. Episcopus tamen etiam docet quandoque incolis oppidi s. Agathae administrata fuisse sacramenta ab archipresbytero vicini oppidi Serrae Capriolae, quasi eorum parochio.

Quo vero ad alteram longe gravio-rem assumpti partem in medium profert abbas plura pontificia diplomata ex quibus adstrui putat veram conditionem territorii separati.

At perpendendum erit, num ea diplomata exemptionem dumtaxat monasterii ejusque abbatis impertiantur, an vero etiam jurisdictionem quasi episcopalem in populum, cum territorio a quacumque alia dioecesi sejuncto. Praeterea videtur etiam animadvertendum diplomata illa agere de monasterio insulae Tremitanae, non vero etiam de oppido s. Agathae ejusque ecclesia. Contendunt tamen Canonici Lateranenses abbatiam s. Agathae esse

granciam Monasterii Tremitani proindeque eisdem potiri privilegiis. Denique ut oppidum s. Agathae excludant a Dioecesi Larinensi, vetera quaedam proferunt monumenta, quatuor vel quinque ab hinc saeculis edita, in quibus describitur ambitus dioeceseos Larinensis pluraque enumerantur oppida vel pagi, nulla tamen facta mentione oppidi s. Agathae.

Monumentum itaque hujus causae in eo ponitur, an satis constet oppidum s. Agathae ejusque ecclesiam sic esse in territorio separato, ut unice subsit spirituali jurisdictioni abbatis monasterii Tremitani; nam ceteroquin si in dioecesi Larinensi existat, sique incolae ejusdem oppidi comprehendantur sub grege Episcopi Larinensis, sique demum cura animarum inhaereat eidem Ecclesiae, manifestum utique erit arceri non posse Episcopum Larinensem a visitanda memorata Ecclesia, utcumque exempta, nam ecclesias etiam regulares vel monasteriis annexas, in quibus parochialis cura saecularium exercentur, Episcopus possit ac debeat visitare in iis, quae ad hujusmodi exercitium spectant, decernitur a s. Conc. Trid. sess. 7. cap. 7. et 8. de Ref. ipsique etiam Religiosi in spectantibus ad exercitium curae animarum sacramentorumque administrationem subjecti sint jurisdictioni et visitationi et correctioni episcopi dioeceseani, quemadmodum cautum fuit ab eadem synodo cap. 17. sess. 25. de regular. eandemque legem confirmavit Gregorius XV. in constit., quae incipit: *Inscrutabili* §. 4.

Partes itaque hujus sac. congreg. erunt definire:

An liceat Episcopo Larinen. visitare ecclesiam s. Agathae insulae Tremitarum quoad sacramenta et sacramentalia, itaut sit standum vel recedendum a decisio die 20. Dec. 1753 in casu?

S. C. C. rep.: Affirmative et amplius.
Die 9. et 23. Jan. 1734.

Amalphantana.

In obsequium resolutionis S. C. C. parochus seu abbas commendatarius cathedraticum ab anno 1709 usque ad annum 1722 pacifice persolvit; subinde verbo cum ab ejus praestatione destiterit, recentiori ipsius exemplo adhaerens abbas Minerva in commendam dictae parochialis seu abbatialis ecclesiae successor non solum detrectat hodie cathedratici jura praestare, verum etiam contendit, archiepiscopum Amalphantanum neque praefatam parochialem seu abbatialem ecclesiam visitare neque occasione visitationis quidquam posse procurationis nomine exigere, iisdem prope innixis rationibus, quas jamdudum expendendas sacrae congregationi proposuerat ejus praedecessor.

Ad extinguendas itaque lites inde exortas atque ad sarta tecta servanda jura suae mensae archiepiscopus veteri fretus consuetudine, juxta quam putat satis probari, tum cathedraticum tum procurationem archiepiscopo antedictam abbatialem et parochialem ecclesiam visitanti fuisse a paroco seu abbate commendatario saepedictae ecclesiae anteactis temporibus persolutam, duo mox describenda dubia decidi postulat:

I. *An eidem Archiepiscopo competat jus visitandi praedictam ecclesiam s. Mariae? Quatenus affirmative,*

II. *An Archiepiscopo debeatur procuratio in casu?*

S. C. C. resp.: Affirmative in omnibus et amplius.

Die 24. Jan. et 14. Mart. 1739.

Episcopus potest visitare quascumque Ecclesias saeculares intra fines suae Dioecesis existentes etiamsi ad

Regulares pertineant et ab eis dependant, dum tamen per saeculares eis deserviat et hoc vigore Concilii Trident. sess. 7. de reformat. cap. 8. Sic decisum fuisse referunt *Armendar.* in add. ad recopil. leg.; *Navar.* lib. 1. tit. 6. de visitat. lib. 5. §. 2. n. 3, *Ventriglia* prax. part. 2. annotat. 24. §. 1. n. 7. Secus autem Ecclesias Regulares Nullius Dioecesis, ut ex Tridentino et Decreto sacrae Congregationis ad longum probat *Fagnan.* et *Matthaeucc.*

Viciniore episcopus potest visitare Beneficia saecularia et Clericos saeculares Abbatiae Nullius Dioecesis ipsosque culpabiles repertos corrigere; et dicitur viciniore episcopus solum ille, cujus Cathedralis ecclesia sit abbatiae proximior, non autem locus dictae Abbatiae subjectus. *Barbosa* supra Trid. cit. sess. 24. cap. 9. num. 4 attestans sic decisum fuisse die 2. Aug. 1596.

Item visitare potest omnes ecclesias curatas Monasteriis Regularium unitas. Concil. Trident. sess. 7. de reformat. cap. 7. et sess. 25. de Regularibus cap. 11. In iis enim, quae spectant ad curam animarum saecularium, tam Ecclesiae quam personae regulares curam exercentes subjacent jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, ut decisum fuisse sub die 4. et 6. Jun. 1627. refert *Barbosa* supra concil. sess. 25. de Regularibus cap. 11. n. 4. et 5., et novissime sacrae congreg. concilii in Mediolanen. 12. Nov. 1689 et Cong. particularis deputata ab Alexandro VIII. in causa Hispalen. 30. Jan. 1694. in respons. ad 6. ad relata in Congr. generali, 18. Aug. 1696. apud *Monacell.* par. 1. tit. 5. formul. 2. n. 2.

Dummodo tamen ecclesia parochialis non sit illius conventus, in quo Generalis ordinis habet residentiam

ordinariam, quia ipsa gaudet exemptione a Jurisdictione Ordinarii. Concil. Trident. sess. 25. de Regularibus cap. 11. et sacra Cong. Concil. in Lauden. Jurisdictionis 1. Dec. 1691, in qua plene articulo discusso et partibus informantibus fuit resolutum: Constitutionem Gregorii XV. incipientem: *Inscrutabili*, non derogasse privilegio cap. 11. sess. 25. de Regularibus favore Generalium ordinum concessio. Sic refert *Monacell.* part. 1. tit. 6. formul. 20. n. 14. et sic alias censuit eadem sacra Congreg. teste *Ventriglia* part. 1. annotat. 48. §. unico num. 91. Quamvis *Barbosa* in Summa apostolic. decision. verb.: Visitare ecclesias et loca Regularium quando possit episcopus, referat ex *Armendar.* et *Lezana* sacram Cong. Concilii censuisse, quod visitare possit episcopus ex Decreto Concilii sess. 7. cap. 6. de reformat. ecclesias parochiales unitas Monasterio canonicorum regularium, tametsi Generalis in eo sedem ordinariam principalem habeat.

Quamvis episcopus possit visitare ecclesias parochiales Monasteriis Regularium unitas vel annexas, nequit tamen visitare domos ipsarum parochialium, in quibus non viget regularis observantia, sed in eis habitant soli Parochi saeculares ab eo approbati, ut alias respondit sac. Congreg. apud *Fagnan.* lib. 1. Decretal. de cap.: *Grave gerimus* 19. n. 16. in officio Ordinarii.

Ad dub.: An Parochi regulares cujuscumque Ordinis illi sint et praesertim Praemonstratenses, Cistercienses et Benedictini exercentes curam animarum personarum saecularium, et non commensalium in parochiis in Dioecesi Omolucensi, licet illae Monasteriis exemptis sint unitae et annexae sive sint de Jurepatronatus, etiamsi

cura Animarum residere dicatur in Abbatibus, visitationem episcopi subire teneantur in iis, quae pertinent ad curam animarum, sive episcopus visitet per se sive per alium, non obstantibus privilegiis dictorum Monasteriorum?

S. C. resp.:
Affirmative.

Die 7. Jun. 1755.

Palentina.

Monasterio s. Zoili ordini s. Benedicti, quod est in oppido de Carrion Palentinae dioecesis, univit san. mem. Sixtus IV. parochialem ecclesiam s. Mariae Magdalenae cum facultate, ut in ea exerceretur animarum cura per monachum ad nutum abbatis amovibilem, *dioecesani loci et cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita*. Hujus unionis praetextu non minus quam vigore privilegiorum ordinis Cluniacensis hodiernus abbas renuit anno 1761 ad visitationem dictae ecclesiae admittere episcopum Palentinum, cujus ordinariae jurisdictioni subjacent clerus et populus parochiae; quare episcopus abbatem monuit, ut assertae exemptionis jura deduceret: quamadmodum decernitur in cap.: *Cum persona 7. de privilegiis in 6.*

Et interim praefixo illi termino ad praesentandum sacerdotem idoneum, ut ab episcopo approbaretur ad curam animarum sub poena majoris excommunicationis ipso facto incurrendae inhibuit quibuscumque sacerdotibus saecularibus aut regularibus, ne ad deputationem abbatis praefatam curam exercerent sine approbatione episcopi etiamsi ab eo obtinuissent facultatem audiendi confessiones: praecipitque parochianis, ut donec sacerdos aliquis specialiter approbaretur ad curam animarum, alteram adirent ejusdem oppidi ecclesiam parochialem s. Andreae

pro sacramentis suscipiendis, constituto in vicinis sacerdote, qui sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et extremae unctionis ministraret de nocte et in casibus repentinae necessitatis. Et hujusmodi episcopi decretum confirmatum fuit in gradu appellationis a Nuncio apostolico Hispaniarum, qui novam insuper appellationem a monachis interpositam admisit in devolutivo tantum.

Pro dirimenda itaque controversia exemptionis episcopus preces obtulit sanctissimo domino nostro, a quo data fuit rei cognitio huic sacrae congreg. fuitque ab ejus R. P. D. auditore resecta instantia abbatis petentis remissionem causae ad Patres. Et nunc disserit episcopus, ecclesiam parochialem, de qua agitur, suae subesse ordinariae jurisdictioni ex dispositione juris, ut in *in cap. 16. de offic. Ordin.*: Nec officere illius unionem a sa. m. Sixto IV. factam exempto monasterio s. Zoili, quia sacrum concilium tridentinum episcopis restituit jurisdictionem ne dum in ecclesias parochiales monasteriis unitas, quas voluit annis singulis ab eis visitari, ut in cap. 7. sess. 7. de reformat., sed etiam in ipsas ecclesias monasteriorum, quatenus eis imminet cura animarum, itaut personae tam regulares quam saeculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, in cujus dioecesi sunt sita, ut in cap. 11. sess. 65 de Regul.

Minusque autumat prodesse monasterio s. Zoili privilegia ordinis Cluniacensis, quae illi fuerunt communicata a san. mem. Eugenio IV., quia in citato cap. 11. sess. 25. de Regul. exemptio praeservatur non omnibus monasteriis ordinis Cluniacensis, sed ipsi solum *monasterio Cluniacensi* cum suis limitibus. Et nullius ponderis re-

putat privilegia a san. mem. Clemente VIII. concessa congregationi Valisolettanae, cui unitum monasterium s. Zoili, tum quia privilegia Clementina concessa fuerunt sub expressa clausula: *Quatenus decreti concilii tridentini non adversentur*, quod inuit potius denegatam fuisse exemptionem in ecclesiis parochialibus, quae a sacro concilio tridentino subjiciuntur potestati episcopi, ut dixit Rota in decis. 507. n. 12. pag. 19. recent. tum insuper quia Clementinis privilegiis aliisque omnibus, si quae essent praepjudicialia episcopo, derogatam fuit a san. mem. Benedicto XIV. in constitutione: *Firmandis* 109. tom. 1., qua praecipitur circa praemissa observantia sacri concilii tridentini, non obstantibus quibusdam *consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque exemptionis et indultis*: qua ratione censet nec etiam suffragari posse monasterio quamcumque possessionem vel consuetudinem ab eadem Benedictina constitutione sublata.

Advertendum tamen est, quod san. mem. Gregorius XV. in constitutione: *Inscrutabili* 19. §. 4 sancivit, ut personae quaecumque saeculares aut regulares exemptae, curam animarum exercentes vel administrantes sacramenta in quibusvis ecclesiis regularibus sive saecularibus, in his, quae hujusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae jurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani episcopi *tamquam sedis apostolicae delegati* plene in omnibus subjiciantur, verum Rota in decis. 771. num. 8. et 9. tom. 2. part. 1. coram Molin. censuit, episcopum posse has ecclesias parochiales monasteriis unitas visitare jure ordinario, vigore concilii tridentini sess. 7. cap. 7. de reformat.

Praeterea defendit, nemini licere in eadem ecclesia curam animarum

exercere sine Ordinarii licentia, approbatione et examine, ut cavetur in can.: *sane quia 16. quaest 2.*: Nec obstare indultum Sixti IV. de licentia Ordinarii non requirenda, quia resistit posterior censura sacri Concilii Tridentini in d. cap. 11. sess. 25. de Regular., ne in his parochialibus aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, nisi de ejusdem (Episcopi) consensu ac praevio examine per eum aut ejus vicarium faciendo; et quia expresse quibuscumque contrariis derogatur tum a s. Pio V. in constitutione: *Ad exequendum* 47. ubi §. 5. idem statuitur, tum a san. mem. Bened. XIV. in praedicta constitutione: *Firmandis* (vd. p. 925.) 109. tom. 1., ubi §. 11. decernitur, ut hujusmodi parochis sine Episcopi approbatione ad curam animarum accedere nequaquam liceat, quamvis a suis superioribus deputati iidem ad nutum amovibiles. Et in circumstantiis similis privilegii ita censuit haec sacra congregatio in altera Palentina 9. Feb. 1760. lib. 110. decretor. pag. 57., imo subeundum esse a regularibus novum examen pro approbatione ad curam animarum, etiamsi prius approbati essent ad confessiones audiendas et ad curam secundariam seu ad parochum coadjuvandum in exercitio curae, definitum fuit in Colonien. 10. Maji ejusdem anni 1760. lib. 110. decret. pag. 168, idque potiori jure locum obtinere videtur in Hispaniis, vigore constitutionis: *Apostolici ministerii* pro reformanda in illis partibus disciplina editae a san. mem. Innocentio XIII. et confirmatae a san. mem. Benedicto XIII. in altera constitutione: *In supremo* 16. post concilium romanum, ubi sub §. 11. expresse decernitur, specialem requiri approbationem episcopi ad curam animarum nec sufficere approbationem ad audiendas confessiones, etiamsi non agatur de parochia sed de Capellano coadjutore.